

Ein unediertes Diplom Heinrichs V.

Mitgetheilt von H. Bresslau.

Heinrich V. verbietet auf Urtheil und Rath der Fürsten dem Karolus die Brüder des Klosters St. Leo zu Toul im Besitz eines Gutes zu Fontenoy-sur Moselle (bei Toul) zu hindern und bestätigt dasselbe dem Kloster.

Strassburg 1107, Juni 20.

* In nomine sanctae et individue trinitatis. Henricus divina favente clementia quintus Romanorum rex.* Nostrum est omnium querimonias audire misericorditer et maxime ecclesiarum dei, quibus fit iniuria. Quapropter omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam presentibus notum fieri volumus, qualiter nos causa dei et interventu Brunonis Treverensis archiepiscopi, Otthonis Bavenbergensis episcopi, Eberhardi Eistetensis episcopi, Burchardi Monasteriensis episcopi, Alberti nostri cancellarii, Girardi comitis, Godefridi comitis, Fulmari comitis aliorumque multorum nostrorum fidelium querimoniam fratrum Tullensis aecclesie sancti Leonis audivimus. Fiebat enim eis iniuria a quodam Karolo de beneficio, quod comes Albertus in manu Bibonis Tullensis episcopi refutavit eo quidem tenore, quod ad usus fratrum aecclesie beati Leonis traderetur. Facta autem refutatione, ipso comite Alberto rogante et presente, reposita est super altare sancti Leonis ab episcopo et ab eodem tradita per manum Rainardi comitis eiusdem loci fratribus. Et ne aliqua posset ratione fratribus fieri molestia, precepit ipse comes Albertus supramemorato Karolo, ne amplius se de illo beneficio quod ab eo tenuerat in Fontiniaco intromitteret nisi fratrum licentia. Illo vero nolente dimittere nec a fratribus querere, querimonia fratrum ad nos pervenit ut debuit. Nos vero misericordia moti nostros inde principes consulimus, et eorum consilio rem ita tractavimus, quod Hugo filius Alberti comitis iam defuncti veniens in nostri presentia refutavit fratribus idem beneficium et laudavit quod pater eius fecerat. Ideo iusta ratione cum iudicio et consilio nostrorum principum interdiximus Karolo ne ulterius se intromitteret, et ita confirmavimus fratribus impressione